



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Epistola IX. Alexandri Papae II. Ad Sanctvm Annonem Archiepiscopvm
Coloniensem. Concedit illi priuilegium immunitatis pro monasterio
Sigebergensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

fedi exhibebant, ex qua pars Romano pontifici, pars ecclesie sanctæ Mariæ, quæ vocatur Schola Anglorum, in vsum fratrum deferebatur.

EPISTOLA IX.
ALEXANDRI PAPÆ II.

AD SANCTVM ANNONEM ARCHIEPISCOPVM
COLONIENSEM.

Concedit illi priuilegium immunitatis pro monasterio
Sigebergenfi.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei Annoni archiepiscopo
sanctæ Coloniensis ecclesie in Christo Iesu
fratri carissimo.*

QVOD a nobis, Deo dilecte frater, expetis, ex officio suscepto & apostolica auctoritate vniuersis debemus ecclesiis: at mihi tecum, in Deo dilecte frater, aliter agendum est: quippe apud virum religiosum, & reuera tam operibus quam nomine episcopum. Itaque ex parte Domini nostri Iesu Christi, & sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctorumque apostolorum Petri & Pauli, omniumque sanctorum & electorum Dei, confirmamus & corroboramus abbatiam illam in perpetuum, ne qua persona magna vel parua, non aliquis successorum tuorum, non rex, aut comes, nullus, inquam, hominum ex ea quidquam ad destructionem loci demoliri audeat; verum omnibus collatis & conferendis pax sit permanens & inconuulsa, & prima ista, qua modo instituuntur, apud monachos permaneat consuetudo, sitque illis de abbate libera electio. Si quis huius nostri priuilegii temere violator extiterit, perpetui anathematis vinculis se innodandum nouerit, nisi forte resipiscens digne satisfecerit. Qui vero pia deuotione obseruator esse studuerit, peccatorum suorum omnium consequatur veniam, & æternæ beatitudinis gloriam mereatur.